



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Theologia|| Ivridica,|| Sev Ivs Civile Theologicvm,||**

**Fickler, Johann Baptist**

**Dilingæ, 1575**

**VD16 F 976**

Neque monasticis religiosis concedi matrimonium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63414)

pus secundum Ecclesiasticos canones à clero eum repellat, curia ciuitatis, cuius clericus est, tradendum.

CONSTANTINVS HARMENOPVLVS  
ex Iustinianais Constit. lib. 4. tit. de cleric.

**H**ypodiaconi & presbyteri vxores habere prohibentur omnino. Vnde & si præter huius constitutionis præscriptum concubio mulieri iungantur, de sacerdotio deiiciantur, ac sua spolientur dignitate.

**NEQUE MONACHIS  
RELIGIOSIS CON-  
CEDI MATRI-  
MONIUM.**

IUSTINIAN. IMP. IN CONST.  
4. apud Iulian. Patr. §. si quis monachus.

Monachis nõ  
conceduntur  
vxores.

§ Militia hic non solum ea intelligitur, quæ ad arma spectat: nam vniuersitatē hęc vox designat: hinc militia aduocatorii Imp. Leonis & Anth. cõstitutione: itē militia palatina, pro om-

**S**i quis monachus constitutus clericatus honorem acceperit, nullam habeat facultatem vxorem ducendi, quamuis eius gradus sit, cuius clericus non prohibetur vxorem habere: qualis est gradus Cantorum & lectorum, non solum autem vxorem ducere prohibetur, sed etiam concubinam habere. Si quis autem monachus ante constitutus clericatus occasione vel duxerit vxorem, vel concubinam habuerit: eiiciatur de Clero, & sit priuatus, ad nullam militiam § vel professionem aliam audens venire, nisi fortè velit in antefatas penas incidere.

IDEM



IDEM CONST. CXV. APVD EVN-  
dem Iulian. §. Si monachus.

Monachus in tali gradu constitutus, in quo clericis licet vxorem ducere, non audeat ipse hoc facere: alioqui si concubinam, vel vxorem duxerit, curiæ, vel officio, vel conditioni, cuius antea fuerat, restituatur.

IDEM IVST. IN NOVEL. CON-  
stit. 6. apud Iulian. Patr. §. ea quæ diximus.

Diaconissas creari constitutio præcepit, si quinquaginta annorum ætatem agant: ita tamen, vt virgines sint, vel si vnum tantummodo habuerint maritum. Si autem mulier propter aliquam necessitatem minor quinquaginta annis Diaconissa facta fuerit, non liceat ei alibi degere, quam in Asceterio sandimonialium mulierum, vbi neque mares conuersantur, nec viuere liceat ei quomodo velit. Nulla autem facultas Diaconissis tributa est habere quosdam secum veluti fratres, siue cognatos, veluti quos dicere solent ἀγαπώτους, id est, dilectos. Nam diaconissæ vel per se habitare debent, vel nullum alium admittere secum, nisi reuera fratrem: sin autem aliqua suspicio sit, quasi simulatus frater cum ea degerit: vel ab initio non consecretur, vel si consecrata fuerit amittat honorem: pœnas autem cum corruptore patiatur eas, quas sacræ cōstitutiones aduersus corruptoré definiunt.

nib. qui in pã-  
latio militat,  
vt in Breuiar.  
Theodosij: mã  
litia literata,  
cafarũ rescri-  
ptis. C. de px-  
sacr. scriin. Itẽ  
militia nego-  
ciatorum &c.  
de quib. vide  
Alciat. lib. p̃-  
termissor. i.

Diaconissam  
esse debere  
quinquagin-  
ta annorum.

Diaconissæ  
non debent  
consuetudinẽ  
habere cum  
viris.